



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXXII. De censuris & pœnis Ecclesiasticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

ficiat verba ejus finalia: Verum si sanctitas vestra nos ab his culpis & objectis immunes non censuerit, nostrasq; excusationes & justificationes pro veris & ultimis non habuerit: si arma contra nos continuerit & illorum depositioni non consenserit: si universalem pacem amplecti nolit, cum tunc non patris sed partis, non pastoris sed invasoris officium assumeret: si aequus rector eorum iudex non censeretur: nullo alio tunc superstite superiore, cui nos & nostra objicere debemus, eaq; omnia, quae nobis objiciuntur aut in posterum objici possent vel tentari: sive personam sive Imperium regnaque & dominia concernant: simul & ea omnia, quae nobis ex adverso pro nostra justificatione & innocentia ad Christianae Reip. quietem praetendimus & pretendere possumus ad sacri generalis concilii totius Christianitatis cognitionem & iudicium remittenda censuimus. Illiq; nos & omnia, quae cum S. V. habere possumus, aut deinceps habituri sumus, omnino subicimus. -- -- Nos enim cum ex his & aliis satis notoriis causis turbari videremus universum Ecclesiae & Christianae religionis statum, ut nobis ac ipsius Reip. saluti consulatur, pro his omnibus ad ipsum sacrum universale Concilium, cujus etiam officium per viam querela his de causis implorandum censemus: petentis cum ea, quae decet, instantia, apostolos & literas dimissorias semel, bis, ter & pluries nobis concedi, & de horum petitione testimoniales literas fieri, ac expediri in ea quae decet forma, quibus suis loco & tempore uti valeamus. Et cum ad haec solenniter peragenda ejusdem solennitatis praesentia minime habere queamus, ut inde forsitan futuris gravaminibus occurramus, has nostras ejus Nuncio Apostolico penes nos agenti & legationis munere nomine V. S. fungenti, per actum publicum coram Notario & testibus exhibendas, intimandasq; censuimus.

CAP. XXXII.

De Censuris & poenis Ecclesiasticis.

I.

Censuræ vocabulum unde & quâ ratione significatum hunc acceperit primum, quem ex usu juris Canonici hodierni obtinet, curam nostram parum afficit. Et quis enim omnium earum rerum, quae quomodocunque invaluerunt aliquando, rationem reddere poterit? Sufficit nosse, per istud vocabulum exprimi & denotari severam aliquam correctionem poenae non absimilem, eamque ita describi, quod sit privatio bonorum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem in criminis alicujus punitionem ad emendationem sive correctionem delinquentis inflictâ. Et quia hæc poena merè spiritualis est, in morali aliquâ bonorum & commodorum spiritualium privatione consistens, poenae autem aliæ civiles pleræque positivum aliquod malum continent, inde est, quod censuræ potius quàm poenae nomen

Yyyy 3

priva-

privationibus istis spiritualibus datum fuerit, quanquam non repugnet, poenam spiritualem dici, siue quia in finem spiritualem tendit, siue quod circa objectum spirituale versetur, & ipsam principaliter atque directo afficiat conscientiam. Et sic etiam vocabulum censori usurpatur in Concilio Aurelianensi IV. c. 2. *Si quis hanc regulam irruerit, tanquam transgressor discipline à sacerdotibus censeatur.*

II. De numero & speciebus censuraram Ecclesiasticarum siue poenarum spiritualium non conveniunt Doctores. Communis sententia innititur Innocentii III. interpretationi in c. 20. *de V. S.* qui ad quaestionem, quid per censuram Ecclesiasticam intelligi debeat, *ἀποτίμωσις* respondet, quod per eam non solum interdicti, sed & suspensionis & excommunicationis sententia intelligi debeat. Unde tres istae species communiter recensentur, suspensio scilicet, excommunicatio, & interdictum, ita tamen, ut si quae aliae fuerint, quae poenae speciem gerant, reduci ad aliquam earum debeant. Referri enim eò poterunt e. g. communio laica, communio peregrina, & si quae occurrunt aliae. Et quia tum de his, tum de excommunicatione supra anticipavimus dicere, non est, ut hic prolixè ea repetenda statuamus. Ad reliquas igitur duas species nobis nunc erit pergendum, suspensionem scilicet & interdictum, ita tamen ut levi tantum & tenui penicillo utramque delineare liceat, si prius dixerimus, correctiones istas spirituales modum & ambitum suum accipere à jurisdictione Ecclesiastica, qualem supra descripsimus. Quousque igitur jurisdictio ista pertigerit, eousque etiam decerni possent poenas spirituales certum est, cum causa & effectus eundem semper habeant ambitum.

III. Suspensio Canonistis dicitur censura Ecclesiastica, quae Clerico siue ministro Ecclesiae interdicitur usus & exercitium officii vel beneficii sui aut alterius functionis Ecclesiasticae. Haec non videtur fuisse in primitivâ Ecclesiâ in usu, sed Clerici delinquentes à sacris fungendis ministeriis ita arcebantur, ut in Laicorum prorsus ordinem redigerentur. Deponebantur igitur & removebantur ab officio, non suspendebantur ad tempus, nec regressum habebant aut spem recipiendae functionis, sed inter Laicos perpetuo deinceps censebantur. Id enim significant vocabula *κατάσχεσις* & *κατάσεισος*, quae in hoc negotio usurpari solent, & alibi exponuntur per *ἀκλήρωτον γίνεσθαι* in Concilio Ancyrano *can. 18.* *ἀπογομνῶσθαι τῆς λειτουργίας* Concil. Trullan. *can. 81.* & sic alibi aliter. Postea verò remotio & depositio aliqua ad tempus introducta fuit, eaque non depositionis amplius, aut remotionis nomine venit, sed suspensionis, quomodo suspendi dicitur sententia, quae vires suas ad aliquod tempus exferere & iudicati vim acquirere non potest, *l. 32. §. 3. C. de appell. l. 5. C. quor. appell. non recip. l. 32. C. de transact. l. 3. C. sentent. rescind. non poss. l. fin. C. si ex fals. instrum.* Atque sic etiam

etiam Clericus per suspensionem constituitur quodammodo in ancipiti & pendenti, cum neque amittat officium prorsus, neque liberum retineat, sed ad tempus eo abstinere cogitur. Quanquam sint inter Canonici juris Doctores, qui etiam suspensionem aliquam faciant perpetuam, sed quam à depositione nihil omnino differre agnoscunt.

IV. Qui talis censuræ five pœnæ Ecclesiasticæ mentionem faciunt canones, potissimum Aurelianenses, vel ipsius suspensionis vocabulo utuntur, vel ita eam circumscribunt, ut ex ipsâ verborum proprietate & contextu nulla alia pœna intelligi queat. In Concilio Aurelianensi III. c. 2. jubetur Episcopus, qui Clericum in conjugio viventem, ad officium admiserit, *ad agendam pœnitentiam tribus mensibus à suo officio esse sequestratus.* Et c. 16. Sacerdos, qui sciens raptori communicaverit, *anno integro pacem Ecclesie non habebit.* Et c. 1. Metropolitanus, qui negligit convocare Synodum intra biennium, *anno integro missas facere non presumat.* Eodem pertinet canon ejusdem Concilii sextus, septimus & decimus nonus. In Concilio Aurelianensi V. c. 3. Episcopus à metropolitano vel à comprovincialibus suis ab officio anno uno suspendi jubetur, qui mulieris licet propinquæ conversatione domesticâ utitur. Et c. 5. decernitur, ut Episcopus, qui alienum clericum ordinaverit, *sex mensibus missas facere non presumat.* Qualis pœna etiam statuitur, c. 6. 8. 18. & c. 9. ubi dicitur, anno integro ab officio vel charitate fratrum extraneum debere haberi Episcopum, qui Laicum præproperè ordinaverit. Pari modo in Concilio Narbonensi c. 11. dicitur, ab stipendio rejiciendum & inclinandum esse Clericum indoctum, *quoad usque curvatus impleat & defendat, quod esse cognoscitur.* Et in Concilio Bracarensi III. c. 1. fit decretum de eo, qui minus rectè Sacramentum cœnæ administraverit, *ut is tamdiu à sacrificando cesset, quamdiu legitimâ pœnitentiâ satisfactione correptus ad gradus sui officium redeat, quod amisit.* Sed quid opus prolixius his insistere, cum ubique obvia extent talia five decreta, five exempla.

V. Quemadmodum verò suspensionem distinxerunt, aliamque planè fecerunt Canonistæ autoritate Conciliorum suffulti à depositione: ita porro discrimen introduxerunt inter depositionem & degradationem. Apud antiquos degradatio & depositio eandem pœnam denotabant, & erant vocabula ista *ἰσοδυναμῆς*; per usum verò sequiorum temporum Ecclesiasticum diversum invaluit, & degradatio pœnam multo graviolem denotare cœpit, quâ scil. Clericus criminis convictus ablatis ordinis insignibus per solennes ceremonias, in oculos incurrentes, ab Episcopo titulo & dignitate Clericali exuitur, & in statum laicalem conjicitur, ut à Laico deinceps iudice condemnari queat. Sanè nec locum olim habere potuisse degradationem talem, qualis nunc recepta est, probabile fit ex eo, quod in-

signum

signium istorum & vestium sacrarum, in quibus tollendis degradationis ceremoniæ occupantur, nullus adhuc tum fuerit usus. Antiquitus enim Clericorum vestitum à vestitu cæterorum hominum non fuisse diversum, sed solis moribus distinctos eos fuisse, Sulpitius Severus testis est *dialog. 2. c. 4.* idque confirmatur ex epistolâ Cælestini I. Episcopi Romani, quam scripsit ad Episcopos per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos. In *cap. enim 1.* reprehendit sacerdotes, qui superstitioso habitu cultui divino inserviunt. *Discernendi, inquit, à plebe vel cæteris sumus doctrinâ, non veste: conversatione, non habitu: mentis puritate, non cultu &c.* Postquam igitur solennes istæ ceremoniæ invaluerunt, distingui cœpit depositio in verbalem & realem, ita ut illa per solam sententiam Episcopi fieret, hæc etiam ceremonias istas externas adjunctas haberet, propter quas speciali nomine degradatio dicta fuit.

VI. Ceremonias aliquas jam olim tempore Justiniani Imp. in usu fuisse, colligere licet ex *novell. 83. in fin. pr.* Illud palam est, si reum esse putaverit eum qui convenitur, provinciæ præses, & pœnâ judicaverit dignum: prius hunc spoliari à DEO amabili Episcopo sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu. Idem colligitur ex Concilii Toletani IV. c. 27. Episcopus, presbyter, aut diaconus à gradu suo injustè dejectus, si in sanctâ Synodo innocens inveniatur, gradus amissos recipiat coram altari de manibus Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, annulum & baculum: Si presbyter, orarium & planetam, si diaconus, orarium & albam: Si subdiaconus, patenam & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparatione suâ recipiant, quæ cum ordinarentur, percepêrunt. Quæ verba innuunt, ablata eis talia insignia fuisse eo tempore, quo gradum amiserunt. Scissa aliquando & rupta fuisse vestimenta sacerdotalia ejus, qui gradu moveri debuit, docent ea, quæ ex Concilio Portuensi nobis reliqua sunt. In eo namque Theodardus Archiepiscopus Narbonensis cum suffraganeis suis degradarunt Selvâm Clericum Hispanum, & Ermemirum in conspectu omnium, scissis Episcopalibus indumentis, baculis eorum super eorum capita confractis, annulis cum dedecore à digitis evulsis &c. Uti legitur in fragmento apud Petrum Delalande in *supplem. Concil. Gall. p. 303.* Quem scissionis ritum itidem fieri & observari præcepit Chilpericus Rex Galliarum ex odio in Prætextatum Rothomagensis Episcopum concepto, eum in finem, ut significaret, degradari eum debere. Gregorius Turonensis *lib. 5. c. 19.* His ita gestis petiit Rex, ut aut tunica ejus scinderetur, aut centesimus octavus Psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput ejus recitaretur, aut certè judicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret.

VII. Jure igitur Canonico noviore non potest magistratus seu iudex secularis procedere adversus clericum, quantumvis atrocissimorum delictorum

rum reum, antequam degradatio facta fuerit ab Episcopo, & ille non amplius sit, quod fuit. Et quanquam alicubi in gravioribus ejusmodi delictis ad judicem secularem pertineat cognitio, neque aliunde sententia expectari debeat, si tamen ad furcas, ad vivicomburium, aliudve aliud supplicium clericus damnatus fuerit, mitti ille, antequam executio fiat, debet ad Episcopum, vel ejus vicarium, qui singulos eis clericatus characteres atque ornamenta solenni ritu detrahat, ut tanquam Laicus pœnas luat, sive, uti dicitur in *c. novimus* de *V. S.* ut *exutus privilegio Clericali, seculari foro per consequentiam applicetur.* Testantur autem J. C. Gallii, Renatus Choppius de *sacra polit. lib. 2. tit. 3.* & Antonius Mornacius ad *auth. Clericus C. de Episcop. & Cler.* Clericum gravioris delicti reum, capite nonnunquam plecti à judice Laico, nullâ Clericalis tonsuræ habitâ ratione, aut degradationis solennitate præmissâ.

VIII. Ceremoniæ, quæ hodiè usurpari in tali exauctoratione solent, describuntur in *c. 2. de pœn. in 6.* atque illæ, uti in praxi observatæ fuerint, exemplo duorum monachorum Bruxellæ exustorum comprobatur Johannes Sleidanus *comment. lib. 4.* Ad exauctorationem verò istam plures convenire oportuit, uti disertè testatur Concilium Hispalense II. *can. 6.* ut *juxta præscriptum patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilii examine de-jicere quemlibet presbyterum vel diaconum audeat.* -- -- *Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.* -- -- *Quanto magis hi qui divinis altaribus consecrati honore Ecclesiastico decorantur? qui profecto nec ab uno damnari, nec, uno judicante, poterunt honoris sui privilegii exui: sed presentati synodali judicio, quod canon de illis præceperit, definiri.* Canon autem præcipit, ut *si quis Episcopus reatum aliquem incurrerit, & si fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare Episcopos, ne in crimine maneat à duodecim Episcopis audiatur & à sex presbyter, & à tribus diaconus cum proprio suo Episcopo.* Ita decretum in Concilio Carthaginensi II. & Agathensi I. recensente Gratiano *c. Si quis, cum seq. 15. q. 7.* Atque iste numerus tam accuratè & religiosè aliquando custoditus fuit, ut, cum Amathuntis Episcopus ab Archiepiscopo suo & undecim Episcopis aliis fuisset depositus, Patriarcha Constantinopolitanus & qui cum eo fuerunt, invalidam & nullius momenti decernerent eam esse depositionem, tum quod non universa Synodus Cypriorum Ecclesiæ aut major saltem pars, cum facile congregari posset, coierit, tum quod Archiepiscopus cum reliquis duodecenario numerum confecerit, quem tamen persona ejus excedere debuisset, uti refert Theodorus Balsamon ad *d. c. 12. Concilii Carthaginensis.*

IX. Sensim cœpit ad depositionem Episcoporum requiri consensus Pontificis Romani, præsertim si talis casus in loco vicino contigerit, quod factum idèò puto, ne reus confugiendo ad Sedem Romanam ejusque auxilium implorando sententiam Synodalem aut irritam prorsus redderet,

Zzzzz

aut

aut sufflaminaret saltem ejus effectum & suspenderet. Quod verò civiliter ita primum à Pontificibus Romanis petitum fuit, id illi deinceps in necessitatem verterunt, statuendo, neminem Episcoporum quanticumq; criminis reum deponi posse sine autoritate & consensu Pontificis Rom. imò verò ab eo solo depositionem talem decerni debere. Inque eà hypothesi tam protervæ frontis fuit Innocentius III. ut assereret c. 2. *de translat. Episc.* depositionem, translationem & cessionem Episcoporum ad solam Sedem Romanam pertinere jure divino. *Non enim, inquit, humanâ sed potius divinâ potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesiâ removetur, & ideo tria hæc, que præmissimus non tam constitutione canonicâ, quàm institutione divinâ soli sunt Romano Pontifici reservata.* Sed ista verba obelo notata & confossa jam sunt ab illustrissimo Petro de Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. lib. 7. cap. 26. n. 8.* Adeò verò sibi semper cautum voluit Romana Curia, ne nimiam Episcopi haberent potestatem, quod observasset, per Episcoporum *περὸς ἑαυτὰς* & axiomata, quo plura fuerint, hoc arctiorem & angustiorem reddi papatus & universalis monarchiæ potentiam.

X. Pergo ad interdictum, quod utrum censuræ nomine venire debeat, valde ambigit, & negat prorsus Didacus Covarruvias *in c. alma mater p. 2. §. 1. n. 2. seq.* Nos ea cura non afficit, quippe, quod nullum ejus in Ecclesiâ antiquâ vestigium inveniamus, & inter corruptelas referendum statuamus, pietatem destruens magis quàm promovens, uti sunt omnia illa, quæ cultum divinum impediunt. De origine ejus & quando primum coeperit solliciti sunt Franciscus Bosquetus *ad Innocentii III. epist. 72. lib. 2.* & Antonius Dadinus Alteserra *ad c. 20. §. de V. S.* Uterque refutandum sibi sumit Ademarum sancti Eparchii Engolismensis monachum, qui ab Alduino Lemovicensi Episcopo circa annum DCCCCXCIV. primitus id institutum scribit, & congerunt adeò illi exempla aliquot, epocham ejus multo vetustiore inducentia, sed quæ pleraque parum ad rem facere videntur. Quod enim de Johanne VIII. Pontifice Romano ex annalibus Francorum refert Alteserra, ac si post violentam invasionem Lamberti & Alberti ille Ecclesiam S. Petri occlusam tenuerit, *ita ut in eâ nullum officium ad DEI cultum pertinens per plures dies celebratum fuerit*, planè non pertinet ad interdictum, uti explicant Canonistæ. Quominus enim tunc Romæ sacra peragi potuerint, non fecit interdictum aut prohibitio aliqua Ecclesiastica, sed vis bellica & hostilis à Lamberto Comite illata. Sic enim scribit Johannes *iple epist. 84.* *His itaq; nos præjudiciis & injuriis multiplicibus gravati, cum totâ Sede Apostolicâ tristes adeò per multos dies extitimus, ut nequaquam nobis aliud agere nisi flere liceret: nam ipsis diebus nec vestis fuit super altare S. Petri, nec aliquod ibi nocturnum vel diurnum officium ex more celebratum.* Et *epist. seq. 85.*
Sacras

Sacras *litaniâs* Episcopos & Sacerdotes atq. servos DEI ex more celebrantes, & ad Ecclesiam S. Petri venire volentes sustibus cedere ac dispergere fecit, scil. Lambertus. Et porrò epist. 90. Cum & ipsius beati Petri Apostolorum principis Ecclesiam, vestram deniq. matrem, & omnium DEI Ecclesiarum tutricem armis triginta diebus circumdatam tenere non formidaverint, ita ut nec ibi aliquam alicui lucernam illuminare, nec laudes DEO conferre liceret &c. Quæso ego ex bellicâ illâ & armata Lamberti prohibitione, quale mihi extrues interdictum juri Canonico non adversum? Imò verò tali modo multo antiquius illud erit statuendum, quod ita in ipsis Ecclesiæ Christianæ principiis extiterint Imperatorum edicta, ne in cœtum coirent & sacra sua facerent Christiani.

XI. Quod porrò de Eligio Noviomensi Episcopo ex vitæ illius descriptore Andeono profert Alteserra, nec ipsum congruum præbet & sufficiens sententiæ suæ testimonium. Ait Andeonus, Eligium cum aliquando visitaret diœcesin suam, quâdam ex causâ interdixisse, ne cursus, id est, preces Canonice & sacrificium celebrarentur in basilicâ quâdam, donec ipse juberet. Quâdam ex causâ id factum dicit, sed causam ipsam non exprimit. Poterit igitur fingi alia quæcunque causa istius prohibitionis, nec necesse est, ut statuamus talem, quæ interdicto materiam substernat. Ait, prohibuisse Eligium, ne preces Canonice & sacrificium celebraretur; non addit, etiam sepulturam Ecclesiasticam ab eo prohibitam fuisse, neque alia, quæ per interdictum prohibita esse communiter censent. Sola igitur cessatio à divinis per verba ista innui videtur, quæ verò ut differat ab interdicto, videri potest apud Josephum Gibalinum de censur. disquis. 1. q. 2. n. 25. seq. Causa autem istius prohibitionis potuit esse vel basilicæ ipsius ruinam minitantis vitium, vel defectus ministrorum, vel parochianorum paucitas, aut quæcunque alia.

XII. Concilii Toletani XIII. canon septimus, quem sibi testem esse putat Alteserra, planè adversus est interdicto, tantum abest, ut ei firmando aliquid conferre queat. Agit namque de illis, qui malitiâ intercedente divina servitutis cultum ab altaribus Christi subducunt, qui obstinate mentis dolositate confusi, cum aliqua eos molestia fratrum jurgiorum pupugerit, insana illicò temeritate abrepti, altaria nudantes sacratis vestibus exuunt, luminaria subtrahunt ac divinorum sacrificiorum cultum malitiâ intercedente subducunt, & quod in hominibus se vindicare non possunt, injuriam DEO, quod pejus est, inferunt. Prohibet deinceps Canon, ne hoc amplius fiat, additâ sanctione, si quis tale quid ausus fuerit porrò. Et quanquam in fine excipiat eos, qui aut contaminationem sacrorum ordinum, vel subversionem sanctæ fidei metuentes, aut hostilitatē vel obsidionem perferentes, seu etiam divinorum judiciorum sententiam metuentes, talia fecisse dicentur, nec in his tamen interdictum inveniet, quo se sustineat, quandoquidem mox additur, quod in eorum factō plus humilitas, quā DEUS placetur, quā interni laboris dolositas declaretur. At tale non est factum

eorum, qui interdicto utuntur, quandoquidem illi magis sub priore specie, eorum scilicet qui ex vindictâ cultum divinum sufflaminant, quosque interni laboris dolositas vexat, continentur.

XIII. Franciscus Bosquetus aliud sibi fulcimentum quærit ex Hincmari Remensis adversus Hincmarum Laudunensem opulculo, c. 28. seq. sed invenit id meo iudicio admodum infirmum & sustinendæ sententiæ parum accommodum. Quod enim Hincmarus Laudunensis presbyteros & diaconos ac reliquos Clericos non accusatos, nec confessos, neque convictos ab omni Ecclesiastico officio excommunicaverit, & ut nemo sacra missarum officia in suâ parochiâ celebraret, interdixerit, quod nemo in necessitate mortis ab eis, quorum interest, baptizari, nemo communionis gratiâ reconciliari, nemo sepeliri cum debita commendatione potuerit, quod nec parvulos, qui sæpè in discrimine mortis periclitantur, baptizare licuerit &c. id omne improbat Hincmarus Remensis, & autoritate multorum canonum refellit. Ex actu autem prohibito qui poterit probatio aliqua enucleari? qui poterit licitum quid elici? Ut maximè ad Bosqueti monitum singula capita apud Hincmarum percurrantur, nullibi tamen verum & licitum, de hoc enim quæstio est, interdictum suis fulguribus instructum & vero nomine insignitum apparebit.

XIV. Restat autoritas Gregorii Turonensis, penes quem duo inveniri putant testimonia recepti jam suâ ætate interdicti, alterum in lib. 5. c. 33. & alterum in lib. 8. cap. 31. In priore agit de adulterâ, propter quam in ipsâ S. Dionysii Basilicâ rixæ primùm deinde cædes exortæ fuerunt. *Sanciantur, inquit, multi gladiis, respergitur sancta humano cruore Basilica, ostia jaculis fodiuntur & ensibus, atq; usq; ad ipsum sepulcrum tela iniqua deserviunt. Quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit, donec ista omnia ad Regis notitiam pervenirent.* Verba hæc ultima de interdicto accipienda esse volunt. Sed obscuriora ea sunt, quàm ut certa exinde haberi queat probatio. Potest enim ista officii perditio de cessatione à sacris interpretatione veriore accipi, quàm ab interdicto differre supposui supra. Nec enim satis decorum videbatur, & religioni Christianæ conveniens celebrari cultum divinum in loco cruore & sanguine humano polluto. Perdidit igitur locus iste hæcenus officium suum, quod eo tempore, quo mutua hæc vulnera inflicta fuerunt, peragi debuit. Perdidit etiam officium ἀσυλίας, quod præbere solent basilicæ delinquentibus, idque negatum sine dubio fuit illis, qui autores fuerunt pugnæ, donec de voluntate Regis constaret, quousque illis ignosci deberet. Quam frequens enim eo tempore asylosum fuerit usus, ex ipsius Gregorii variis locis constat, imprimis ex lib. 5. c. 2. 3. & 4. Sed privilegio immunitatis uti & asyli jus habere non poterat, qui in ipsa Ecclesiâ deliquerat, c. fin. de immun. Eccles. Didacus Covarruv. lib. 2. var. res. l. c. 20. n. 15. Prosp. Farinacius quest. crim. l. 1. tit. 4. q. 28. n. 52. seq. Sed, uti dixi,

ver-

verborum obscuritas obscuram admodum parit sententiam. De interdicto autem explicari ea ideò non poterunt, quia ad Regis placitum istud referri videtur, cum dicatur locus officium perdidisse, *donec ista omnia ad Regis notitiam pervenirent*, ac si in Regis arbitrio staret relaxatio interdicti, quod vix unquam admittent Canonistæ.

XV. Alter locus ejusdem Gregorii in *d. lib. 8. c. 31.* haud paulo clarior existit. Agit ibi de cæde Prætextati Episcopi Rhotomagensis ad instinctum Fredegundis in ipsâ Ecclesiâ, cum sacra faceret, à sicario occisi. *Post hæc, inquit, Leudoualdus Episcopus* (Leudobaudis dicitur in subscriptione Concilii Turonensis II. & Parisiensis IV. Episcopus Sagensis) *epistolas per omnes Sacerdotes direxit & accepto consilio Ecclesias Rotbomagenses clausit, ut his populus solennia divina non spectaret, donec indagazione communi reperiretur hujus sceleris autor.* Sed hic repeto ex hypothesi canonistarum, quod supra dixi, discrimen inter cessationem à divinis & interdictum; multo enim pinguius est hoc, majoremque copiam rerum prohibitarum continet, quàm nuda & simplex cessatio, etsi neq; hæc quidem, uti hodiè explicatur apud Paulum Laymannum *lib. 1. theol. mor. tr. 5. p. 4. cap. 6.* religioni Christianæ conveniens sit. De interdicto verò proprio nihil videtur contineri in istis Gregorii verbis. Deinde, ut maximè id aliquando factum reperitur, non tamen inde jus aliquod illic constitutum erit, neque imitandum est protinus, quod aliquando ex ratione certâ sed nobis incognitâ institutum fuit. Et ipse dubitavit Leudoualdus Episcopus, num justè cessatio talis decerni posset, atque idcirco ab Sacerdotibus Ecclesiæ Rhotomagensi subjectis consilium expetiit, quod hodiè vix faciet ullus Episcopus.

XVI. Non vana igitur videtur eorum sententia, qui natales interdicti ad Concilium Lemovicense & annum Christi MXXXIV. referunt. Erant tùm temporis principes seculares clericis admodum infesti, & invadebant identidem res & possessiones Ecclesiasticas, idque indignè ferentes Episcopi de remedio cogitare cœperunt. Re igitur in consultationem & deliberationem prolatâ Odelricus qui dicitur paterfamilix B. Martialis consilium dedit hujusmodi: *Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemo vicensem publicâ excommunicatione, eo videlicet modo, ut nemo nisi Clericus aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens aut infans à bimatu, & infra, in toto Lemovicinio sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes Ecclesias latenter agatur, sed baptismus peccatis tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in Ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant. Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur: altaria per omnes Ecclesias, sicut in parasceve, nudentur: & cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitiæ omnibus est. Ad missas tamen, quas unusquisq; Sacerdotum januis Ecclesiarum obsecratis fecerit, altaria induantur, & iterum post missas nudentur. Nemo*

in ipsâ excommunicatione uxorem ducat: nemo alteri osculum det: nemo clericorum aut laicorum vel habitantium vel transeuntium in toto Lemovicinio carnem comedat, neq; alios cibos, quam illos, quibus in quadragesimâ vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur, neque radatur, quousq; districti Principes & capita populorum per omnia sancta obediant concilio &c. Totus iste interdicti processus ad Consilium Odelrici refertur, & ei auctori adscribitur, quod ignorarunt antea reliqui Episcopi, uti colligere licet ex verbis antecedentibus, quæ cum adductis videri possunt apud Card. Baronium ad ann. MXXXIV. n. 18. & Severinum Binium tom. 3. Concil. pag. 1092. Et quorsum verò Odelricus ille tam copiosè & prolixè atque speciatim interdicti membra atque regulas explicasset, si in usu istud unquam fuisset, potuisset uno verbo respondere, interdicto subjiciendam esse terram Lemovicensem. Ab eo verò tempore frequentissimus evasit interdicti usus, uti videre licet apud Ivonem Carnotensem, Goffredum Vindocinensem, Fulbertum Carnotensem, aliosque ejus ætatis Scriptores plurimos.

XVII. Quæ verò hæc est iniquitas & sævitia, ut ob unius aut alterius vel personæ vel ordinis culpam, eamque aliquando non tam veram quam fictam & imaginariam Respublicæ totæ & Regna integra, (sic enim fieri à Pontifice Romano quandoque solet,) in quibus multæ hominum myriades sunt, Sacramentorum communionem multentur, quibus quasi instrumentis vitam & gratiam Christus miseris mortalibus largitur? Quo in Codice habetur adeo ferale institutum à Christo & Apostolis exercitum, quo animarum innoxiarum multæ myriades propter paucorum peccata ad inferos damnantur? Et qui verò, quæ sic sævit, potestas Apostolica dici potest, cum non ad destructionem verum ad ædificationem instituta sit potestas Apostolica? Hæc verò ratione frenum injicere oportuit Regibus atque principibus, qui colla submittere Romano Pontifici renuunt, quive duri atque graves monarchiæ Ecclesiasticæ existunt. Atque in hunc modum cultus divinus merè politicum instrumentum factum est, per quod integra Regna conservari & destrui queant. Hic enim est principalis scopus interdicti, quod in regna & territoria integra evibratur, ut populus cœlesti pabulo privatus & omni cultu divino externo destitutus in suum principem concitetur, ut seditiones accendantur, ut rebelliones foveantur, ut cædibus via aperiatur, uti optimè observat Marcus Antonius de Dominis de Rep. Eccles. lib. 5. cap. 9. n. 39. Quantas in Angliâ turbas dederit interdictum seculo XIII. sub Johanne Rege à Pontifice Romano promulgatum, universi referunt ejus gentis historici. Idque interdictum summâ cum populi injuriâ per integrum sexennium stetit, ut scribit Knyghton ad ann. MCCVIII.

XVIII. Episcopi etiam inferiores propter leves admodum causas interdicto quandoque utebantur adversus refractarios, Apud Fulbertum epist. 57.

epist. 57. Lexovienſis Epiſcopus interdixit quibusdam Eccleſiis, ne in illis ſacra fierent, ideò quod ſynodaticum ab eis ſolutum non fuiſſet. Et *epiſt. 105.* minatur ipſe Fulbertus, niſi Gaufridus Vicecomes caſtella deſtructa reficere deſerit, divinum officium in toto Epiſcopatu deſiturum. Maxime verò hoc fulmine utebantur tùm, quando vel res Eccleſiaſticae in vaſæ futerunt à potentioribus, vel privilegia Eccleſiæ minuta, aut libertas acciſa putabatur, uti patet ex Ivonis *epiſt. 94. § 121.* Atque hinc laudandæ ſunt Eccleſiæ Gallicanæ, quod in illis interdictorum uſus prorsus abrogatus ſit, maxime, ubi de pecuniario debito agitur, aut cùm Epiſcopus ſuam ipſius injuriam ulciſcitur, adeò ut ſi quis Epiſcopus interdicti ſententiam protulerit, appellari ab eà queat, tanquam ab abuſu; atque ita judicatum fuiſſe adverſus Epiſcopum Lapurdenſem ſeu Bajonenſem refert Antonius Mornacius *ad l. 3. C. de apoſtat.* quod ille Ahatzanam Eccleſiam ob ſolum diceceſanæ viſitationis non reſuſum viaticum interdicto ſubjeciſſet.

XIX. Uti autem excommunicatio aliquando, ita & interdictum ſæpè contemptui fuit, ſi præſertim contumacia quædam acceſſiſſet. Ita conſultus à Sanctione Epiſcopo Aurelianenſi Ivo Carnoteniſis, quid ſtatuendum de monachis, qui contra interdictum miſſas celebraverant, mortuos ſepelierant, & chriſma aliunde acceperant, reſpondet *epiſt. 62.* ſi de gratiâ Archiepiſcopi Lugdunenſis ille certus eſſet, ſeverè vindicandam eam contumaciam, *alioquin, inquit, levius erit ea ſupportare, quæ non licet ad plenum vindicare.* Cumque ab Eccleſiâ Romanâ conſeſſum eſſet monaſteriis hoc privilegium, ut non obſtante interdicto generali, cui terra aliqua ſubjecta eſſet, liceret monachis, januis clauſis, non pulſatis companis excluſis excommunicatis & interdictis ſuppreſſâ voce divina officia celebrare, *c. 17. de V. S.* monachi inde non tantum per cavillationem contendèrunt, particulari interdicto ſe planè non teneri, quos *d. c.* reſellit Innocentius III. Papa; ſed nonnulli etiam generali interdicto durante privilegio illo ſuo abutentes, & intemperantius atque inſolentius ſe gerentes, apertis januis, pulſatis campanis, altâ voce divina officia celebrarunt, recipiendo interdictos ad Eccleſiaſtica Sacramenta, ipſorumque corpora defunctorum faciendoin cœmiteriis ipſarum Eccleſiarum ſepeliri, uti apud Clementem IV. conqueſtus fuit Epiſcopus Pariſienſis, de quo fides facit bulla ejusdem Pontificis, quam edidit Clariffimus Stephanus Baluzius *in append. ad Concil. Narbon. num. 36.* Alii verò cautius egerunt, & januis quidem clauſis, ſed perforatis aut fenestris in eis factis ſeu modis aliis exquisitis divina officia celebrarunt, Epiſcoporum interdictis hæc ratione illudentes, quos ſingulari conſtitutione repreſit Clemens V. *c. 1. de ſentent. excomm. in Clementinis.*